

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5771

Auteur(s) : Hugues d'Amiens, Rouen (archevêque)

Bénéficiaire(s) : La Vieille-Lyre, Notre-Dame de Lyre (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1145

Lieu d'émission : Rouen

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Hugues, archevêque de Rouen, donne et confirme à l'abbé et aux moines de Notre-Dame de Lyre les églises Saint-Crespin de Romilly[-sur-Andelle], Saint-Georges et Saint-Nicolas de Pont-Saint-Pierre avec toutes leurs dîmes et appartenances et confirme la donation faite par le comte Guillaume auxdits moines.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissay, 1869, t. 3, p. 31-32.

Texte établi d'après a

Hugo, Dei gratia Rothomagensis archiepiscopus, karissimis filiis suis Helfredo abbati et conventui Sancte Marie de Lira in perpetuum. Sancta mater ecclesia, habundantia pietatis et discretionis plena, sicut inobedientes et rebelles pro rigore justicie novit reprobare, ita devotos et obedientes filios consuevit gremio karitatis confovere et ampliori gratia benedictionis honorare. Quoniam igitur in Dei servitio studiosos et ferventes in religione vos esse cognovimus, ad ea que juste postulatis assensum præbere congruum duximus et de quibus requiritis exaudire. Verumtamen ecclesiam Sancti Crispini de Romeilli et Sancti Georgii cum decima, ecclesiam quoque Sancti Nicolai de Ponte Sancti Petri cum decima et appendiciis suis, insuper de dominio domini decimam et redecimam, tam in bosco quam in plano, molendinis etiam et aqua, vobis donamus et confirmamus, villam insuper de Bannis Comitum, sicut Willelmus comes et Adeliza, uxor ejus, ecclesie vestre dederunt, vobis similiter confirmamus et in posterum quietius possidendam corroboramus. Porro quecumque possessiones aut bona in presentiarum canonice possidetis aut in futurum Deo opitulante justis quibusque modis poteritis adipisci, firma vobis et illibata permaneant, salva sancte Rothomagensis ecclesie reverentia, et juris parrochialis consuetudine debita. Cunctis autem ecclesie vestre et vobis que justa sunt servantibus sit pax Domini nostri Jhesu Christi, quatinus et hic fructus bone actionis percipiant et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Quicumque vero hujus nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, si non satisfactione congrua quod injuste presumpsit emendare studuerit, sciat se divino judicio mancipandum et districtæ ultioni subjacendum.

Actum est hoc Rothomagi, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo quadragesimo quinto, regnante rege Francorum Ludovico, principante in Normannia Andegavorum comite Gaufrido. Ego Hugo Rothomagensis archiepiscopus †. Ego Walterus abbas Sancti Wandregesili †. Ego Fraternalis abbas Sancti Audoeni †. Ego Fulbertus

archidiaconus †. Ego Hugo archidiaconus †. Ego Osmundus archidiaconus †. Ego Walerannus decanus †. Ego
Gaufridus archidiaconus †. Ego Nicolaus sacrista †. Ego Laurentius magister scholarum †. Ego Gislebertus cantor †.